

Q. D. B. V.

# ברתכלח

DISSERTATIONE GRADUALI  
Breviter Delineata,

*Quam*

*Permissu Ampliss. Fac. Philos. in Illustri  
Academia Aboënsi,*

PRÆSIDE

*VIRO ADMODUM REVERENDO  
ET AMPLISSIMO,*

Dn. Mag. ABRAHAM  
ALANO,

Orient. & Græc. L.L. Prof. Ord.

Ad diem 4. Decemb. An. MDCCIX.

*Publico Candidorum Examini fissit*

MICHAEL JESENHAUS,  
Ostrobothniensis.

ABOÆ,

*Excud. HENR. C. MERCKELL, Reg. Typogr.*

*Viro Adm. Reverendo & Praclarissimo,*

DOMINO

**Mag. GABRIELI THAUVONIO,**

Pastori & Præposito in Merpis Vigilantissimo,  
longeque dignissimo.

*Plurimum Reverendo atq; Clariſſimo*

DOMINO

**Mag. LAURENTIO AUGUSTI**

Pastori in Kyro minori fidelissimo.

*Perquam Reverendo & Clariſſimo DOMINO*

**Mag. JOHANNI BRUNELL,**

Wasæ V. D. Ministro dexterissimo.

Patrono, Evergetis & Adfinibus

Exoptatissimo, longe honoratissimis.

IN. DEBITÆ. OBSERVANTIAÆ.

ET. PIETATIS.

CERTISSIMUM. PIGNUS.

HUNC.

TENUI. LICET. CALAMO.

CONSIGNATUM. LABOREM.

CUM. OMNIGENÆ. FELICITATIS.

CALIDA. ADPRECATIONE.

SUBMISSE. AC. OFFICIOSE.

D. D. D.

M. JESENHAUS.

*Reverend and Renowned Young Man,*

# MICHAEL JESENHAUS,

Proved and very worthy Candidate of Philosophy, laudable Author of this present learned Work, my honorable Friend.

*A*s soon as i was informed that you have chosen the master of Bethlehem, for an essay of Your founded doctrine , so growed in my mind a great Joy; not alhone for the nobility of this Argument , but much more for Your ingenious and witty elaboration , whitch is able to encourage the Youth to follow your footsteeps, and all Christians in this sorrowfull time to have only haer meditations upon the great Saviour of the whole world. For this paine and all Your other labours , whitch You have with great patience , and , as a reight Fatherless-Child , with puur confidence of God suffered , is this Your reward , that God Himself , through the inward and outward calling , have put You to feed the Herd of Christ ; for which You so may preach the Words of life , that You may save Yourself and them that hear You !

Your

Servant and friend,

PETER TIGERSTEDT.

I. N. J.

§. I.



Ox בָּיִת לְחֵם, quæ inscriptionem dissertationi nostræ dedit, ex בָּיִת domus, familia, locus & לְחֵם panis, cibus, epulum, est conflata, q. domus panis. Græce: Βηθλεέμ.

Βηθλεέμ τῆς Ἰσαίας, & Ἰσά, Matth. II. 5, 6. In priori ad regionem, in posteriori ad fortē tribus habito respectu: ubi vocabulum Ἰσά, & ex Hebræo ἄνθη, & secundus Græcorum causus non sine ratione statui potest. V. 6. c. I. dicitur Βηθλεέμ γῆ Ἰσά Synecdochice, tribuendo civitati, quæ pars tantum loci illius est, totius tractus appellationem. Glash. Rhet. Sac. p. 457. Sic: Γῆ Ζαρθλῶν καὶ γῆ Νεφθαλεῖμ, Matth. IV. 15. pro illis urbibus. Unde, Σὺ Βηθλεέμ γῆ Ἰσά, Succus recte vertit: Ξυ Βεττλεχεμ i

A

Gu-

**G**udesta landet. A latinis Aucttoribus nomen hoc tali solet formari discrimine: Bethlem, Bethlehem, Bethlehem, Bethlehemum & Bethlema-morum: A Stephano usurpatur Βήθλεμη itidem in neutro. Haud raro ejusdem sensus voces reperire licet, Bethlechem, in simplici Lechem vel Lachem &, præcipue antiquo in fœdere, Ephrata: Mich. V. 1. **אתה בiotלך אפרתת;** nisi ex adcurationi hujus cum Ruth. I. 2. collatione cuiquam placuerit, Ephratam toti potius regioni adplicare: cum interpres quoque non contemnendi illud Michæ sic transferant: Tu Bethlehem Ephratæ.

## § II.

**Q**ui Ephrata urbi Bethlehem nomen proprium esse volunt, moti 1. Par. IV. 4. uxori Caleb Ephratæ id deberi adstruunt. Inter eos est G. Paf. in Lex. N. T. & Spanhemius Geogr. Sacr. p. 29. sive adpellationis similitudine, sive oppidi illius Caleb Ephratæ 1. Par. 11. 24. facta mentione eo adducti. A conditoribus dicta est Bethlehem & Ephrata, quia Ephrata fuit pater Bethlehem, ait Corn. a Lap. in Matth. 11. 6. Ceterum ut exiguum plane probandi vim habet notationis convenientia, ita quas ipsis ferat suppetias oppidum illud, nondum vidimus. Quicquid sit, expresse 1. Par. IV. 4. Ephrata Churis mater vocatur, & c. 11. 51. Salma pater Bethlehemi.

Certe Jacob Patriarcha in itinere Mesopotamico constitutus, cum Ephratam perveniret, & uxoris Rachelis, partui immortua funus ibidem curare necessum haberet, dicitur eandem sepelivisse prope Ephratam, quæ Bethlehem postea dicta est. Gen. XXXV. 19. & XLVIII. 7. Ille vero terræ Canaan speculator cum in serie generationum Jacobo ætate longe inferior deprehendatur i. Par. II. incongruum est judicare, quod jam possedit, vivente Jacobo, Ephrata nomen, demum tempore uxoris Calebi consecutum fuisse Bethlehemum. Glash. Philol. Sacr, p. 812. Cum itaque Ephrata a פֶרַת fructum attulit, derivetur, idemque ac Bethlehem, terram videlicet fertilem denotet; quis non intelligit, utramque adpellationem loci naturæ quam optime congruere, & significatus similitudinem hic probare, verissime Ephratam & Bethlehemum unum & idem esse?

### §. III.

Sacræ historiæ notitia vel leviter imbutum latere nequit, reperiri duas urbes in Palæstina, Bethlehemi insignitas nomine, unam Galilææ in tribu Zabulon, Jos. XIX. 15. alteram in finibus Juda & Benjamin, cibifferentiæ causa Bethlehem Juda dictam. Hæc prout Judææ montanæ fuerit adscribi, ita etiam in clivo paullum eminenti ea ratione sita fuit, ut ab occasu in ortum pro-

tensa structusæ arctæ & oblongæ speciem retulerit. Cotov. Itinerar. Hieros. p. 238. distans Hierosolymis in meridiem sex millibus passuum: ut ex Geographo Arabe probat Casaub. Exerc. II. ad Baron. cui suum addit calculum Sulpitius Sev. in Dialogo I. c. 4. inquiens: Bethlehem ab Hierosolymis sex milliaribus disparatur. Et Rabbi Beniamin itiner. p. 47. Hierosolymis Bethlehem duabus parasangis distat: quæ, teste Const. l' Emper. dissert. in intiner. Ben. absolvuntur itidem fere sex milliaribus: parvis, puta, sive Italicis. Nam qui milliare intelligunt Germanicum, Bethlehem Hierosolymis uno milliari cum dimidio abfuisse dicunt.

#### §. IV.

Bethlehemi tractum, & quæ ei circumiacuerat terræ portio, collibus & petris passim scatuisse, non infrequens est scriptorum vox. Quæ tamen hactenus admitti poterit, dum sacris & profanis literis nobilitatam terræ sanctæ fertilitatem & jucunditatem nihil detrahatur. Sane Strabo lib. XV. Locum, ait, Hierosolymorum facile obtinere potuerunt Judæi, quod minime invidiosus esset, nec pro quo quisquam studiosius contenderet: est enim petrosus, aquis tantum abundans, 'circumiacentem vero regionem sterilem ac siccam habens, & intra sexaginta stadia petro-



trofam. Id nos faciles concesserimus: ea tamen  
lege, ut simul obtineamus, Judæam campis, val-  
libus & clivis decorè distinctam, irrigatam aquis  
& loci bonitate reliqua Palaestinæ regioni vix ex-  
stitisse secundam. Quod ut credamus, tum co-  
jubemur, quod quamvis Judæa pagorum & ur-  
bium multitudine ceteras terræ illius partes lon-  
ge antecelluerit, tribum suam nihilominus alue-  
rit quam commodissime; tum S. scripturæ testi-  
moniis Exod. III. Deut. VIII. Ut taceamus Jo-  
sephum L. V. Antiqu. Jud. Hierosolymorum agro-  
rum fertilitatem clarissime exponentem. Bro-  
chardus de terra S. part. II: c. 2. vinum, dicit,  
terræ S. pretiosum valde est & suave, præcipue  
circa Bethlehem. adeo! ut, quicquid Strabo de  
Hierosolymorum siccitate & sterilitate loquatur,  
nisi inficitia aut malevolentia id fecerit, de tem-  
pore devestationem aliquam secuto explicari  
forte debeat. Phil. Mel. Expl. Evang. part. I.  
docet, planitiem circa Bethlehem convenien-  
tiorem esse frugibus serendis. Unde Beth-  
lehemum Hierosolymorum granarium jure  
salutari posse existimat Dresserus. Nazian.  
Orat. XIX. totius mundi horreum vocat. In  
quem locum sic commentatur Drexel. Tom. II.  
p. 279. Ubi Bethlemiticum illud horreum  
apertum est, panis abundabat in omni terra. Hic  
est pinguis ille panis, qui delicias præbet regi-  
bus.

bus. Hic est panis ille divinus, qui descendit de cœlo. Quæ aliò spectant.

## §. V.

Jacta Bethlehemi fundamenta ex I. Paral. IV.  
 4. pulcre se invenisse opinantur Cornel. a Lap.  
 & Spanh. ut initio dicebam: ad quod com-  
 ma D. Calov. ita se expedit: Salma erat pa-  
 ter Bethlehemi: nam ex familiis & vicis oppi-  
 da. Scriptor rerum Judaic. L. VIII. c. 3. Beth-  
 lehem conditorem judicat Regem Roboamum,  
 afferens eum urbes munitas & magnas, ut Beth-  
 lehem, Bethsuram, Odollam aliasque exstruxisse.  
 Ceterum quo minus Bethlehem Calebi uxori Ephra-  
 tæ sua debeat primordia, vetat historiæ eviden-  
 tia & elementorum Chronologicorum ratio. Te-  
 stimoniij Josephi par est indeles; nisi is putavisset  
 existimandus, Roboamum Bethlehemi, longe ante  
 Regum Judæorum tempora orti, non conditorem,  
 sed restauratorem fuisse. D. Calov. ipsum sese haud  
 male explicat ad Jof. XV. 62. tradens, a Salma  
 Calebi filio primum in civitatem ædificatum Beth-  
 lehemum, cum prioribus temporibus villis & vi-  
 cis adnumeraretur. Nam quemadmodum infan-  
 tes non primo statim nativitatis tempore adultæ  
 ætatis statum attingunt, sed cum annorum acces-  
 sione incrementa capiunt; sic nulla urbs, ad id  
 mox erecta fastigium, quò temporis successu eva-  
 dere

dere potuit. Et colligere fas est, etiam Bethlehem, donec opera Salmæ amplior reddita, postea Sacerdotalibus urbibus adscisceretur, Calov. c. l. pagi nomine venisse, per seculorum vero intervalla ex tenuitate sua emersisse, & demum a Roboamo insigni cura refectam, muroque cinctam fuisse. Adrich. Theat. T. S. p. 41. Drex. Tom. II: p. 279.

## §. VI.

Inter Bethlehemi habitatores viros honestissimos & rerum gestarum gloria maxime conspicuos refert S. Scriptura: ut, Elimelechum, optimæ mulieris Ruth maritum, divitiis & auctoritate valentem Boazum, venerandum senem Eli & ejus filium, summum Heroa Davidem, qui, ut alia egregia facinora, quibus hanc urbem illustravit, præterea, cisternæ illi ad portam Bethlehemiticam sitæ, siti sua immortale de suo nomine nomen peperit. 2. Sam. XXIII. 15. Eandem hanc quoque patriam habuit præclarissimus Ibhtzan 60. liberorum genitor & pater familias providentissimus. Et tandem Bethlehem ejus maxime inclaruit nativitate, qui splendor est gloria & expressa imago Personæ DEI, humani generis redemptor Christus JESUS. Unde Prudent. in hymno de Epiph.

O sola magnarum urbium  
 Major Bethlehem, cui contigit  
 Ducem salutis cœlitus  
 Incorporatum gignere.

Is in urbene, an extra eandem genitus sit, digladiantur inter se eruditi. ansam contentionis præbuisse videtur crebra apud antiquos scriptores facta mentio speluncæ, in quam virgo Maria, cum ob congregatam undique Augustæ computationis causa multitudinem, partui viciua commode in urbe habitare nequiret, secedere coacta est. Ejusmodi vero speluncam cum incongrue intra Bethlehemi pomoeria locari alii crederent, extra eadem locum effinxerunt, usibus viatorum destinatum, quos, aut nox urbis aditu excluserat, aut vilior fors urbico ac lautiori hospitio prohibuerat; hincque ea ratione dixere in ipsa rupe excavatum, ut commodum hominibus & jumentis præberet receptaculum, exinde vulgo noto nomine præsepis, vel hospitii ad præsepe, insignitum. Cæsar Baronius initio ann. Eccles. p. 55. ait, fuisse speluncam in suburbis Bethlehemiticis & Adrichomius Th. T. S. p. 41. in extremitate urbis hujus orientali rupem quandam, non multum a muro distitam, in qua pro more terræ illius locus pro stabulo erat, & in stabulo excisum præsepe ex ipsa rupe. Idem quoque sequens Jac. Sannazarii poëma indicat:

Est specus laud ingens parvæ sub mœnibus urbis,  
Incertum, manibusne hominum, genione po-  
tentis

Naturæ formatus, ut hæc spectacula terris  
Præberet, tantosque diu servatus in usus,  
Hospitio cœlum acciperet: cui plurima dorso  
Incumbit rupes pendentibus undique saxis  
Asperæ: & excelsæ cingunt latera ardua cautes:  
Defunctis operum domus haud ingrata co-  
lonis.

Huc heros tandem superata ambage viarum  
Sic monitus ducente DEO, cum conjugè sancta  
Devenit, multaque senex se nocte recepit.

Neque huic adversatur opinioni Frantzius de  
Interp. S. S.

Intra mœnia Bethlehemita Christi  
incunabula investigant Casaub. Exerc. II. in  
Bar. ann. Dorscheus Diff. II. de Adm. Christi  
Septen. & alii viri ingenii & doctrinæ laude il-  
lustres: quorum ego motus auctoritate  
hærerem, cuinam adsentirem parti, nisi Chri-  
stum certò Bethlehami genitum esse, Divino edo-  
cerer verbo. Mich. V. 1. Matth. II. Longum fo-  
ret, utriusque partis recensere argumenta; quæ  
cum ex D. D. Dorshei Admir. Sept. Christi, Bœ-  
ningii. Dissert. de Patria Christi aliisque haber-  
possunt, ad alia me confero.

## §. VII.

Adhuc Christi ævo Bethlehemo suus constituit vigor, datumq; ei modo τῆς πόλεως Luc. II. 4 modo καμης nomen, quorum utrumque notat Hebræorum γιγ civitas. conf. Calov. in Joh. VII. 42. Quia tamen Judæ sublatum erat sceptrum, res quoque Bethlehemiticæ paulatim vilæ sunt labascere. Nam Ælius Adrianus, quamvis quartæ persecutionis auctor non extiterit, sed populus ipsius injussu Christianos injuriis affecerit; cum tamen, eo imperante, tantum innocentis sanguinis effusum sit, utut Christo templum erigi constituerit, crudelitatis criminè liberari vix potest: siquidem, ut sacra Romana diligentissime curavit, ita Christianismum & Judaismum non modo contempsit, sed & exscindere conatus est: amo, evenisset, ut omnis Deorum periisset cultus, si id, quod de Christo cogitabat, factum fuisset: ceu loquitur Danhaverus Dram. Sacr. p. 572. Is Judæos ob factam rebellionem miserè pressos, urbis Hierosolymæ ingressu ea conditione prohibuit, ut e longinquo tantum oculis eandem usurpare liceret: quod ut obtineret, non solum de suo nomine urbem Æliam vocavit, sed etiam portæ, qua Bethlehemum itur, in signum perpetuae servitutis suis imaginem imponi jussit. Postea tamen proprius accedendi, ingrediendiq; iplis facul-

facultas data est, ad vastatae urbis ædisque deflendum rudera. idque quotannis die X. Augusti, certo oblato pretio. Hujus Imperatoris sub regimine sanctissima Judææ loca detestando idolorum cultu polluta sunt. Ideo, ubi Christus surrexit, erigebatur Jovis simulacrum, in rupe crucis statua Veneris, & in spelunca, qua Christus parvulus vagiit, Adonis plangebatur, etiam Thamus adpellatus, quem ad ostium domus Domini sedentes mulieres deflevisse perhibentur, Ezech. VIII. 14. de eo glossa: Thamus soll seyn der abgott Adonis, davon die Poëten und heyden viel haben geschrieben &c. Modus sacra peragendi Adonidi talis erat. Ad ostendendam doloris magnitudinem Veneri Adonidis interitu obortam, toti regioni luctus indicebatur, cuius acerbitatem verberibus sese lacerando, & capita radendo testabantur. Si quæ mulier rali abnueret, cogebatur uno die peregrinis se prostituere, & inde partam mercedem Veneri offerre, &c. Cultum Adonidis describit Seldenus Synt. II. de D. S. c. 11. & Edoard. de Relig. gent. p. 24. Feminas vero sacris hisce operatas adpellatione Baccharum venisse, notat Glass. Phil. S. p. 942. Ezech. c. I. dicuntur בְּכֹת flentes, a בְּכָה ululavit, lamentatus est. statuitque idolum hoc primum in oriente, potissimum a mulieribus cultum fuisse.

Fabulæ de Adonide interpretationem habet Ma-  
crob. I. 1. Saturn. c. 21.

### §. VII I.

Hac idololatriæ immanitate specus, qua in  
Iucem editus creditur mundi salvator, per annos  
180. ab Adriani videlicet tempore ad imperium  
Const. Magni, obruebatur: teste Hieron. in ep.  
ad Paull. donec /mater C. Magni religiosissima  
Helena, ægre ferens, sanctam terram tanti crimi-  
nis turpitudine repletam, eodem iter suscepit,  
ibique varia exstruxit templa: præcipue, Bethle-  
hem, ubi Christi nativitatis fuerat locus, ejecto  
Thamus, magnificentissimam ædem condidit,  
quam filius postea variis ornavit modis. Ejus  
amplam delineationem exhibet Cotovicus itine-  
rar. Hierosolymit. p. 228. Laudibus effetti qui-  
dem meretur piissimæ mulieris, debito amore &  
honore Redemptorem suum prosecutæ intentio; ea  
tamen ab aliis superstitionis insimulatur. Nam

Læta crucis Helenæ peperit pia cura tropæa.

Fertur repertam lanceam crucisq; clavos, quibus  
Christus transfixus est, Constantino donasse, ut  
ex iis frena, quibus in bello uteretur, conficeret.  
Christ. Matth. Theat. Hist. p. 659.

### §. VI V.

Eximiæ sortis femina inter Romanas, Paulla  
nomine, Helenæ imitata exemplum, aliquo post  
tem-

tempore Bethlehemum adiit, ibique quatuor institutis monasteriis, quibus ipsa viginti annis praeftuit, ad finem usque vitae confedit. Eximum ipsi ab Hieronymo positum est epitaphium, sepulcri vero talis circumfertur titulus:

Scipio quam genuit, Paullæ fudere parentes,  
Gracchorum soboles, Agamemnonis inclyta  
proles,

Hoc jacet in tumulo; Paullam dixerunt priores:  
Eustochii genetrix: Romani prima senatus,  
Pauperiem Christi & Bethlemitica rura secuta.

Dicitur etiam Hieronymus magnam vitæ partem Bethlehemi egisse, eodemque loco diem obiisse. Ostendi ibidem, ait Cotovicus, ejus cellulam sive officinam piarum contemplationum, in quaestate studiis vacaverit, & biblia ex Hebræa in Latinam linguam transtulerit.

## §. X.

Hisce praefunctis, credere convenit, hanc urbem ubique gentium in honore habitam, & successu temporis undique religionis causa ad eandem suscepitas fuisse peregrinationes: quantum omnium initia ut Helenæ adscribi possint, tantum abest, ut diversus peregrinantium scopus, ea potius ad diversos referenda esse, suadeat. Helenæ pium conatum proxime indicabam, quem

eius ætatem sequuti in abominandam convertere superstitionem. Hinc tot religiosa facta itinera ad sindones Christi, lac & indusium Mariæ, Josephique sandalia & femoralia: quæ omnia naniæ sunt & deliramenta male sonniantium Pontificiorum, ad simpliciores decipiendos, questus causa, excogitata; quibus accensenda de præsepii Christi fragmentis ligneis, passim locorum ostentatis, traditio. Id enim cum rupi incisum fuisse, supra indigitaverim, adsertioni isti fidem tribuo parem illi, qua festivo Erasmi Dialogo de pereg. religionis causa injicitur mentio tot fragmentorum crucis Christi, ut collatae navis onerariae justum onus superent.

### §. XI.

Tales erant hæ peregrinationes, cum seculo septimo felicibus Mahumadanorum armis subæcta Palæstina, Reges Principesque Christiani, nobilissimam terram tanta barbarie vexari, nefas ducentes, fine seculi undecimi ejusdem recuperanda inirent consilium. Ortum tunc est genus peregrinantium Crucesignatorum, eo compellatorum nomine, sive in honorem Christi, qui crucis suppicio nostrorum criminum causa affectus est, sive ut ab aliis, qui sui ordinis non erant, crucis signo discernerentur. Mittimus de sacri illius belli justitia disquirere, cum id Buddens

Dissert. II. fusius pertractet. Expediet, in præsentia novisse, primam crucigerorum expeditiōnem, Duce Godofrido Bullionæo, Anno Christi 1099. suscep̄tam fuisse, qui sanctam terram manibus infidelium eruptam Christiano cultui restituit. Hic ille est, qui cum omnium consensu Rex Hierosolymorum crearetur, & corona auro gemmisque distincta insigniretur, eandem rucusat, iniquum iniquiens, se ibi coronam auream gestare, ubi Rex cœli & orbis olim spinis gravem per ludibrium sibi impressam tulerat. Christ. Matth. Theat. Hist. p. 912. Unde epigramma:

Laurea non hominem 'gestare, nec aurea Regem  
Fas, ubi Rex Divum spinea ferta tulit.

### §. XII.

Godofrido vita defuncto, ejus frater Balduinus in Ecclesia Bethlehemitica regni sceptrum capessivit, sub cuius imperio secunda in terram sanctam, anno C. 1101. peracta est profectio. Refert Miræus de notitia Episcopatum p. 155. Urbem Bethlehemi, anno C. 1100. ab hoc Balduino sede Episcopali donatam esse; neque solum Episcopatu sed etiam ob Helenæ basilicam Archi-Episcopatu claruisse, ex Tyrio narrat Adrichomius; cum superioribus temporibus ibidem duntaxat.

Pri-

Prior fuerit. Alium quoque Episcopum Bethlehemi viguisse, qui pugnaturus contra Saracenos in pyxide lac S. Mariæ tulerit, in Zuingeri Theatro Ing. H. indicat Sigeberti continuator ad annum 1124. Quendam etiam Galliæ Episcopum Bethlehemitanum fuisse prope oppidum Clametium in districtu Altisiodorensi, tradit Miræus c. l. Sic magni semper aestimatum fuit, Bethlehemi vocari nomine, quod etiam locis inditum fuisse reperimus. Nam quod anno circiter 1413. insigni adparatu prope villam regiam Richemondiam condidit Henricus V. Angliæ Rex, monachisque Carthusianis habitandum permisit, cœnobium nomini JEsu sacratum, Bethlehem adpellavit, ut hoc pacto terræ illius, quæ salutis nostræ Principem tulit, in regno suo perennis foret recordatio. Polyd. Vergil. Hist. Engl. I. 22.

### §. XIII.

Dum in investigando Bethlehemi statu ulterius occupamur, offert se nobis illud Buddei, ipsas regiones ac orbis partes esse instar ædium, nunc hos, nunc alios possessores recipientium. Hoc ut in recentiorem Palæstinæ conditionem quadrat, edocent satis superque illæ variorum populorum mutuæ invasiones & vastationes,

qui-

quibus perpetuo hæc terra sic jaætata est, ut  
dubitare fas sit, an unquam sint istæ urbes &  
loca, quæ pro sacris habentur, & hodiernis Pon-  
tificiorum peregrinationibus tantopere invisuntur.  
Quare videtur vero simile Bethlehemum eadem  
fata fuisse expertum, & ab eo cultu, quem  
Constantini M. ævo habuit, lohge descivisse.  
Petrus Bellonius, qui, ut fatetur ipse, anno  
1546. terram sanctam adiit, dicit Bethlehe-  
mum tum fuisse instar exigui pagi, casulisque  
male instructi, & nihil elegans continuuisse præ-  
ter magnum & superbum Helenæ templum,  
Franciscanis habitaculo concessum: Cui suffra-  
gatur Cotovicus, qui itinerarium anni 1598,  
conscriptis. Martinus Zeillerus, citante Boe-  
ningio, in suis collect. refert celeberrimarum  
quondam in Palæstina urbium vix superesse ve-  
stigia, Nazareth vero & Bethlehemum peculia-  
ri DEI providentia adhuc existare, vetustate ta-  
men dilapsas, & fere desolatas. Henricus Ma-  
undrell 1696. Palæstinam peragravit, & itiner-  
fui p. 121. reliquit scriptum, vidisse se Bethlehe-  
mi locum nativitatis & præsepii Christi, multas-  
que alias antiquitatis reliquias. Observatorum  
tamen & ab aliis sibi relatorum veritati quasi diffi-  
dens, illud, ajunt, tradunt: frequenter usur-  
pat.

Hæc, ut potui, fide auctorum  
collegi, quibus plura addi debe-  
rent; Sed cum præsens rerum mea-  
rum conditio jubeat me desinere, hos  
qualescumque conatus L. B.

æqui bonique con-  
fusat.

S. D. G.

